



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEMULTIMODIS SOLEMUSECCLESIA BEATAE MARIAE VIRGINI DICATA, QUAE VERNACULO SERMONE

«NUESTRA SEÑORA DEL REFUGIO» VOCATUR, IN DIOECESI CIVITATIS

VICTORIENSIS SITA, TITULO ET DIGNITATE BASILICAE MINORIS HONESTATUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Multimodis solemus Nos dilectionem significare, qua ab ineunte pueritia Beatissimam Virginem Mariam prosequimur, Matrem Nostram dulcissimam et Patronam, cuius benevolentiam non raro sumus experti, et manifeste quidem. Non minus autem curamus ut Christi fideles eam discant ardentem amare, colere, eique in omnibus suis tum corporis, tum praesertim animi necessitatibus fidere. Peculiarem vero hos census excitandi rationem putamus aliquo externo testimonio exprimere eiusmodi pietatem, qualibus, praeter alia, vel templi dedicatione, vel eiusdem aucto honore et dignitate. Hinc, si quando a Nobis postulatur ut ecclesia aliqua, Deiparae Sanctissimae sacra, populi concursu insignis atque ad Christianorum vitam stabiliendam non parum conferens, titulo honestetur Basilicae Minoris, propense precibus concedimus. Qua re, cum Venerabilis Frater Raimundus López Mateos, Episcopus Civitatis Victoriensis, litteris die XIII mensis Iulii anno MCMLXXXVIII datis, suum expromens votum simulque cleri et catholicorum, petiisset ut ecclesia Beatae Mariae Virgini dicata, quae vernaculo sermone «Nuestra Señora del Refugio» vocatur, in dioecesi Civitatis Victoriensis sita, ad gradum eveheretur Basilicae Minoris, Nos, scientes eam momento historico eminere, operibus religiosis et pastoralibus et locum principem esse cultus Civitatis Tamaulipas quondamque et sedem Cathedralem fuisse, consulta probantes Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, postulationem admisimus. Quocirca nuper memoratam ecclesiam titulo et dignitate exornamus Basilicae Minoris, omnibus cum iuribus et privilegiis rite competentibus, iis tamen servatis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXVIII editum, servari iubet. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piseatoris, die XXIV mensis Augusti, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana